



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Piorum cœtus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

Cur Soli  
ortu Stella  
extinguit  
videntur.

At dicet aliquis: Si Sol ex ortu suo Stellas omnes extinguit, quomodo illis lumen mutuatur? Quibus responsum facio, accidere id ex oculorum nostrorum imbecillitate, qui luce illa omnium maxima perfricti, minora nequeant lumina conspiciari.

## DE LUNA. CAP. XIV.

Atque hæc de Sole dicta sufficiant, non enim omnia prosequi volui, quæ super eo dici potuissent ab instituto hoc non aliena: sed occupationum tuarum peculiarium sollicitudinis mihi habenda fuit, publicæ quippe professionis, lucubrationum tuarum peculiarium sollicitudinis quam pro laborantibus, quotquot opem implorant tuam, benignissime suscipis atque accuratissime, à quibus si longiore sermone avertere te voluisses, in alicujus omnino commodum peccassem. Ad Lunam igitur breviter examinandam aggrediamur.

## NATURA HUMANA. CAP. XV.

Sole pro sublimioris naturæ imagine constituto, fuisse qui per Lunæ hieroglyphicum naturam humanam exprimi differrent. Nam quod hæc è limo terræ constant, terra etiam lunaris globus esse perhibetur. Pythagoras enim Lunam modo Terram cælestem, modo terrestre cælum appellabat, ac terræ similem eam dicit Aristoteles. Varia est præterea Lunæ facies, diebusque singulis, immutata conspicitur, neque variantiæ quicquam magis obnoxium, quam rerum humanarum conditio. Quinetiam si uniuscujusque hominis vultum intueamur, nunquam aut rarissime hæc & illa vice eundem esse conspiciemus, modo enim iratum, modo lenem, modo tristem, modo hilarem, modo hoc, modo illo affectu perturbatum comperiemus, ac prout diversæ rerum imagines animi perculerint, ita varias in vultu figuras conformabunt. Hinc inter magna naturæ miracula de Socrate fertur, eum eodem semper vultu conspectum. Ad hæc, ut quæ tam manifesta sunt, missa faciamus, cupida lucis Luna, cupidum intelligendi (ea enim lux est) mortale genus. Eam modo Soli suo adjectam, modo abeuntem, modo redeuntem aspicias. Animus quoque noster nunc ipsius veritatis luminis copulatur, nunc longe recedit, nunc ad veræ rationis intellum facta repetitione revertitur. *Aver-  
nare enim hominum est, & sepius in die vel justus cadit.* Luna ea semper parte clara, conspicua, & illultris est, qua Solem aspicit: obscura vero, cava & inanis parte ea, qua divertit à Sole. Homo qua se parte convertit ad Solem suum, micantissimis radiis velut alter Moses illustratur: ab eo vero aversus alio, turbulentissimis omnium errorum tenebris offuscatur. Hinc diès à Deo dicitur Neomeniæ, novæ quippe Lunæ, quem festum celebrare debeamus: Quod eo spectat, ut intelligat Adamantius, quando lex vetus umbra futurorum est, quod à Apostolo Paulus ait, eandem ipsam memorans Neomeniam, ut intelligamus justitiæ Solem Christum esse, Lunam vero Ecclesiam, quæ lumine ipsius repletur, ac cum Soli suo juncta fuerit, eique penitus adhæserit, tum festum diem agit Neomeniæ.

## PIORUM COETUS. CAP. XVI.

Ignitur Theologi, qui Christum Soli æquiparant, in quo sit sensibilis humanitas & divini luminis imago, iidem per Lunam piorum, uti dictum, universitatem intelligunt: cum nulla sit gens, nulla natio, nulla secta cujuslibet congregatio illustrata lumine, nisi quæ, ut in Sole Luna, Christi radio verberatur. Eucherius quoque Lunam Ecclesiæ dicit hieroglyphicum, nempe quod in hac mundi nocte resplendeat. Et quoniam defectibus mensuris imminuitur, & faciem quotidie variat, nocte fit etiam symbolum imbecillitatis, de qua superius.

## ÆTERNITAS. CAP. XVII.

Apud Gentes præcipuum erat Lunæ significatum æternitatis hieroglyphicum haberi: propterea quod, cum defecisse videtur, nova iterum fit, sæpiusque anno toto juvenescit. Quare scite admodum Horatius, cum brevem & imbecillam humanæ vitæ conditionem lamentatur, ait:

*Damna tamen celeres reparant cælestia Luna.*

Carm. lib. 4  
Od. 7.